

quam quaeritis et ibi habitabitis XL diebus et postea reducet vos Deus ad terram nativitatis vestrae». Sanctus pater ut audivit prostravit se ad terram coram fratribus suis referens gratias et laudes suo salvatori.

Capitulum XXII

Cum haec perfinisset venerabilis senex avis reversa est in locum suum. Porro praedictus procurator finita refectioe dixit: «Deo adjuvante revertar ad vos in die adventus sancti spiritus super apostolos cum dispendiis vestris». Accepta benedictione sancti patris et omnium qui cum eo erant reversus est in locum suum. Porro venerabilis pater mansit ibidem praedictos dies. Consummatis itaque diebus festis Sanctus Brendanus fratribus suis praecepit preparare navigium et implere vascula de fonte. Ducta jam navis ad mare ecce praedictus socius cum navi onerata escis ad fratres venit. Cum haec posuisset in naviculam sancti viri osculatis omnibus reversus est unde venerat. Venerabilis autem pater cum suis sodalibus navigavit in oceanum et ferebatur per XL dies navis.



Capitulum XXIII

Quadam vero die apparuit illis bestia immensae magnitudinis post illos a longe quae jactabat de naribus spumas et sulcabat undas velocissime cursu quasi ad illos devorandos. Cum hoc fratres vidissent ad Dominum clamabant dicentes: «Libera nos Domine ne nos devoret ista belua». Sanctus vero Brendanus confortabat illos dicens: «Nolite expavescere minime fidei Deus qui est semper noster defensor ipse nos liberabit de ore istius bestiae et de ceteris periculis». At vero cum appropinquasset illis antecedeabant undae mirae altitudinis usque ad navim. Quare fratres magis ac magis timebant. Venerabilis quoque senex extensis manibus in caelum dixit: «Domine libera servos tuos sicut liberasti David de manu Goliae gigantis; Domine libera nos sicut liberasti Danielem de lacu leonum; Domine libera nos sicut liberasti Jonam de ventre ceti magni». His finitis tribus versibus ecce ingens belua ab occidente juxta illos transibat obviam alterius bestiae. Quae statim inivit bellum contra illam ita ut ignem emisisset ex ore suo. At vero senex fratribus suis ait: «Videte filioli magnalia Redemptoris

maximam

per longum hunc

2

96. long

enim nocte illud cadaver devoratum erit a bestiis». Illi vero usque ad
vesperas asportabant carnes quantum eis opus erat secundum
mandatum sancti patris. At vero fratres cum haec omnia perfecissent
dixerunt: «Abba quomodo possumus hic vivere sine aqua?» Quibus
ipse ait: «Numquid difficilius est Deo vobis tribuere aquam quam
victum? Ite igitur contra meridianam plagam insulae istius et invenietis
fontem lucidissimum et herbes multas ac radices et inde mihi
dispendia dispendia sumite secundum mensuram». Et invenerunt omnia sicut vir
Dei predestinavit. Mansit ergo ibi Sanctus Brendanus tres menses quia
erat tempestas in mari et ventus fortissimus et inequalitas aeris de
pluvia et grandine. Fratres vero ibant videre de illa belua. Cum autem
venissent ad locum ubi cadaver erat antea nihil invenerunt nisi tantum
ossa. Reversique sunt confestim ad virum Dei dicentes: «Abba sicut
dixisti ita est». Quibus ille ait: «Scio filioli quia voluistis me probare si
verum dixissem annon. Aliud signum dicam vobis». (Portio cuiusdam
piscis hac nocte venit illuc, et cras reficiemini inde). Sequenti vero die
exierunt fratres ad locum et invenarunt sicut vir Dei praedixerat. Et
attulerant quantum poterant portare. Ait autem illis venerabilis pater:
«Istud vero diligenter observate conditum inde habebitis necessitatem.
Faciet enim Dominus serenum tempus hodie et cras et post cras et
cessabit impetus maris ac fluctuum. Postea proficiscemini de loco isto».

Capitulum XXIV

Transactis autem diebus praedictis precepit Sanctus Brendanus suis
fratribus onerare navim et utres implere atque alia vascula herbes ac
radices ad suum opus colligere quia praedictus pater postquam fuit
sacerdos nihil gustavit in qua spiritus vitae esset de carne. Oneratisque
omnibus in navim velisque extensis profecti sunt contra
septentrionalem plagam. Quadam vero die videntes insulam longe ab
illis dixit illis Sanctus Brendanus: «Videtis illam insulam?» Aiunt illi:
«Videmus». Dixitque illis: «Tres populi sunt in illa insula unus
puerorum et alius juvenum tertius vero seniorum. Porro unus ex
fratribus nostri illic peregrinabitur». Fratres autem interrogabant
quisnam esset ex eis. Cum autem perseverassent in illa sententia, et
videsset illos tristes ait: «Iste est ille frater qui permahsurus est ibi».
Fuit autem praedictus frater unus ex tribus fratribus qui subsecuti sunt